DE LIBERALITATE ET AVARITIA BREVIS DISSERTATIO.

AVCTORE
IOANNE BVKOWIECKI
à Bukowiec.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij,
Anno Dñi, 1627.

Beneuolo Lectori S.

CVm aliquando in familiari amicorum quorundam congressu, quibus & ego aderam, inter varios sermones quales amici, & viri boni miscere solent, mentio facta esset auaritiæ, quæsitũq; de vitij istius natura, vt, cum religio Christiana vitium hoc tantoperè execretur, ac damnet, sciri possit quibusnam cancellis ac limitibus circumscribi debeat, ne vel auaritia specie cuiusdam frugalitatis alicui illudat, vel frugalitas auaritiæ laruam induat: cùm inquam hæc disceptarentur, dixi tum & ego sententiam hac de re meam, & vt tantò rectius auaritiæ naturam explicarem, à liberalitatis explicatione exorsus sum. Quæ cùm illis non displicuissent, & præsertim illi qui inter cæteros & ætate & dignitate eminebat, petiit à me vt ea quæ dixissem, literis suâ causâ consignare vellem. Parui non inuitus æqua petenti. Neq; enim quæ recta esse, & ad morum honestatem spectare putamus, cum amicis communia facere grauari debemus. Hæc cùm à me ipsius causâ cõsignata & ab ipso lecta ac relecta essent, nunquam me vrgere destitit, vt ea typis euulgari permitterem. Re-

pugnaui diu multumq́, quòd eum me esse non crederem, qui in publicum orbis theatrum prodire possem. Verùm cùm is nõ inutile fore putaret hæc edi, hac præsertim tempestate, in qua viri etiam alioquin non mali auaritiæ isto morbo tententur, opibusq́ cumulandis plus quàm Christianis conueniat sint addictiores: eò me tandem passus sum adduci. Tu benigne Lector, quicquid istud laboris est, boni consule, & siue pauper es, siue diues, siue priuatam agis vitam, siue publicam rem tractas, siue in parua, siue in magna dignitate es positus, fæcundam vitiorum auaritiam fuge,

Virg. Quid (*enim*) non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Idq́ tibi persuade, te hoc monstro debellato, & hac hydra prostrata, multorũ vitiorũ capita recisurũ esse.

Horat. Non es auarus? abi quid cætera? iam simul isto
Cum vitio fugêre.

Faxit Deus, vt homines Christiani tandem aliquando intelligant, quàm turpe & indecorum, quamq́ perniciosum sit iis qui ad cælestis regni fastigium, & immensas illas æternasq́ diuitias diuina benignitate sunt vocati, terrenis istis certò citoq́ perituris opibus inhiare. Vale. Anno à Christo nato M. ƆC. XXVII.

LIBERALITATIS ET AVARITIÆ BREVIS deſcriptio.

CVM VITIORVM TVRPITVDO, maximè detegatur pulchritudine virtutum, & viciſſim virtutum pulchritudinem vitiorum illuſtret turpitudo: idcircò auaritiam, liberalitatis veluti oppoſita imagine, in hac tabella ſpectandam proponam. Et de liberalitate quidem primùm ac potiſſimùm inſtituendus eſt ſermo. Hac enim cognitâ, & ſuis circumſcriptâ limitibus, in ſuoque (vt ſic dicam) regno conſtitutâ, facile quid extra limites euagetur & erret, quid viciſſim arctetur & conſtringatur anguſtiâ, cognoſci poterit. Itaque cùm omnis virtus certo quodam modo circa ſuam propriam materiam (quæ in ſcholis obiectum vocatur) verſetur; liberalitatis, & materia pariter & circa illam verſandi ratio, determinanda eſt. Materia ſunt nummi, ſeu id omne quod pecuniâ & nummis æſtimari ſolet. Liberalitatem enim & beneficentiam hoc loco non extendimus ad alia etiam officia, quæ præter ſumptum & impenſam, operâ, auxilio, conſilio, aut quauis alia ratione alteri præſtantur: cùm iſta nunc explicare ad inſtitutum noſtrum non pertineat. Tota autem circa pecuniam verſandi ratio, dando, accipiendo, retinendo, concluditur. Quocirca liberalitas erit virtus, quæ rectum ac conuenientem modum in iſtis omnibus retinet, ac ſeruat. Primarium quidem liberalitatis officium eſt circa dandam ac diſtribuendam pecuniam rectè & conuenienter

versari, verumtamen ad accipiendam quoque ac retinendam se porrigit, cùm nec fundum habeat ipsa per se largitio, nec vitiosam acceptionem honesta consequatur datio. Quare in explicanda liberalitate, rerum potiùs ordinem, quam liberalitatis rationem naturamque secuti, primò de quærenda seu accipienda pecunia agemus, tum de retinenda, tandem de danda. Quod igitur ad quærendam pecuniam attinet, ante omnia excindenda est ex animo pecuniæ auiditas quædam ac fames, quæ vbi animum inuasit nihil moderatum, nihil temperatum suadet, vt in his videmus quos fames vel sitis acerrimis vrget stimulis. Quin potiùs eâ animi moderatione pecunia quærenda est, vt diues fieri, opibusque congestis incubare nec cupias nec cogites. Nam, vt Sacra nos docet pagina, *qui ditescere volunt incidunt in tentationem & in laqueum, inq; multas & insanas ac perniciosas cupiditates, quæ homines in perniciem interitumq; demergunt. Radix enim omnium malorum est amor pecuniæ.* Ab omni deinde iniustitia & iniuria abstinendum, & diligens adhibenda cautio ne quidpiam alieni nobis adhærescat. Quemadmodum enim aquilarum pennæ, aliarum auium plumas occulta quadam vi consumere dicuntur: sic iniuriâ partæ opes reliquas omnes, iusto licet labore quæsitas dissipant. Ab omni etiam turpi ac indecoro quæstu liberalis abhorret, quem magis honesta fama quàm pecunia delectat. Cuius rei immemor fuisse videtur Vespasianus Imperator, qui ex publicis latrinis quas Romæ extruxerat, magnam pecuniæ vim corrasit. Huc pertinent omnes illi qui sese alienis voluptatibus ac cupiditatibus mancipant, & ad vilissima quæque ministeria abiiciunt lucri causâ.

A petendo etiam quantum fieri potest cohibendus est animus. Non enim satis honestum videtur ambire aliquem precibus, vel precario quidpiam possidere, estque liberalis ad dandum quàm ad accipiendum pronior. In contractibus etiam facilem se præbet, & tractabilem, nec ad vnguem resecat omnia, sed vt Comicus ille ait

Dat, prætermittit, non necesse habet omnia
Pro suo iure agere.

Vnde fit vt à litibus abhorreat, quas qui amant semper inquieti sunt, ac turbidi, nec aliis tantùm sed & sibiipsis molesti ac graues. In re quoque domestica ac familiari curanda, non acerbum & rigidum, sed placidum ac benignum familiæ se præbet & subiectis. In primis autem salutis suæ memor, huic curandæ totum se tradet, huic vacabit, huc omnes ingenij sui & industriæ neruos intendet, has opes non explenda fame sitique appetet, & tantum terrenis rebus vacabit quantum cælestium sollicitudo permittet. *Quærite primùm*, inquit Seruator, *regnum Dei & eius iustitiam, tum cætera omnia adiicientur vobis.* En quam liberale Seruatoris promissum! dum cælestia curamus, dum in iis acquirendis toti sumus, hæc terrena veluti ad cumulum tantæ felicitatis adiiciuntur: huius corporis ac vitæ nimiâ curâ leuamur, vt toto pectore & studio nec interrupto, nec in plura distracto animæ salutem curemus.

His explicatis, secundo, vt ante constituimus, loco, de retinenda & asseruanda pecunia agamus, cùm in cassum pecunia quæratur, si acquisita temerè & inconsultò dilabatur ac effluat; estq; pecuniæ retentio intermedio quodam loco sita inter quærendum & distribuendum, sic vt eam non iniuriâ loculos & marsupium quoddam liberalitatis appellare queas. Huc propriè pertinet vt quantum pecuniæ & facultatum liberali possidere ac retinere liceat, definiatur: quæ res ex duplici pecuniæ vsu clarè patet. Cùm enim pecuniam vel nostrâ vel aliorum causâ quæramus & possideamus, nostrâ causâ non amplius nobis possidere licebit, quàm quantum ad vitam honestè ac commodè pro cuiusuis statu ac conditione transigendam sufficit. Nam, vt ille ait, *primus est diuitiarum gradus habere quod necesse est, secundus quod sat est.*

Aliorum verò causâ tantum pecuniæ ac facultatum retinere licebit, quantum liberalitas in loculis nostris relinquet, seu, vt vtrumque pecuniæ finem complectamur, tantum nobis bonorum possidere licet, quantum vel ipsi requirimus, vel aliorum indigentia à nobis non requirit. Quod igitur ad eam pecuniæ partem attinet, quam nostrâ causâ seruamus ac retinemus, in ea modus & mensura adhibenda est iusta. Istud enim veluti fundamentum liberalitatis substerni debet, vt paucis contenti simus, non superfluas corporis voluptates, nec inanem vitæ fastum & splendorem consectemur, sed naturæ & honestatis cancellis cupiditates nostras castigemus. Deinde animum ab omni anxietate & trepida cura vacuum habere debemus, si quid nobis ad vitam in posterum sustentandam adhuc desit. A quo vitio dehortatur nos ipse Seruator, qui nos Deo curæ esse affirmat, & exemplo tum auicularum quæ sine vlla sollicitudine in crastinum lætam agunt vitam, tum florum ac graminis, quod lætissimo colore veluti amictu viret vernatque, diuinæ nos prouidentiæ admonet. Dum verò nos ab omni animi anxietate ac in futurum sollicitudine dehortatur Seruator, non dissolutos nos esse vult, nec ignauos, aut incuriam vel inertiam nobis instillat, sed eos qui cum paupertate strenuè luctantur, quique manibus ac labore famem & inediam depellunt, non verò qui incuria & otio torpent complicitisque pedibus, & palmulis inter alternas digitorum vicissitudines super genua connexis egestatem vltrò aduocant, prouidentia diuina solatur.

Horat.

Non ego auarum (vt Satyricus ille ait)
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.

Nam qui opes temerè & inconsultò dilapidant, diuina abutuntur prouidentiâ, meritoque postmodum egestate pœnas luunt. An non enim ipsa rerum natura nos monet vt prouidi simus? quæ non singulis diebus suas opes ac fruges profundit, sed annorum

rum spatiis & interuallis. Formicas imitari debemus non cicadas, de quibus elegans est apologus. Cùm enim cicadæ quæ neq; de victu, neque de tecto æstate sibi prospexerant, frigore pariter & esurie confectæ, à formicis peterent, vt in antrum ad formicarum granaria reciperentur; quæsiuisse ex iis formicæ dicuntur, quanam re & operâ totam æstatem contriuissent? cantando, referunt illæ: nunc ergò, subiiciunt vicissim istæ, si placet, saltando hyemem exigite. Quocirca adolescentia, ætatisque robur non somno & ignauiâ transmitti debet, sed in iuuentute senectuti paranda sunt præsidia. Nec enim semper erit æstas & vernantis ingenij viriumque vigor, ingrúet breui frigidæ & cassæ senectutis hyems. *Qui suam colit humum* (vt Iudæorum sapientissimus pronunciat) *victu satiabitur, sed qui ignauos imitatur, satiabitur egestate*. Quemadmodum autem fortunæ præsidiis destitúti, sic vicissim opibus affluentes omni animi metu ac perturbatione vacare debemus. Multi enim diuitiis magis cruciantur quàm egestate, dum eas anxia & irrequieta cura custodiunt, dum aduersus omnem fortunæ minitantis strepitum expallent, lætiorem longè vitam acturi, si muneribus istis fortunæ caruissent. Prou. 28. 19.

An vigilare metu exanimem noctesq; diesq; Horat.
Formidare malos fures, incendia, seruos.
Ne te compilent fugientes, hoc iuuat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Certè non minus arduum est diuitias quam paupertatem rectè ferre: Procul igitur à nobis absit eiusmodi miseræ, ac omni paupertate grauiores diuitiæ, certissimum auari & illiberalis animi indicium. Nam cùm liberalis ex maximis etiam opibus nihil suum putet nisi quo indiget, quomodo earum iacturam nimis aut metuet aut dolebit? Nolumus autem quenquam adeo suis commodis adstrictum esse, vt vel antequam suis vsibus conuenientem pecuniæ modum assequatur, vel si vltra suos vsus non-

dum est progressus, nihil cuiquam benefaciendum putet. Nam qui animo liberali & benefico præditus est, vel de quotidiano victu partem potiùs decidet, & tenues licet ac pro suo modulo collectas facultates imminuet, quàm vt opis indigum auxilio suo destuat, vel aliis necessariis vsibus desit: estque hoc pulcherrimum liberalitatis genus, quod Seruator in illa paupere vidua, quæ obulum tantùm in ærarium ad sacros vsus coniecerat, valdè commendat. Præcipuè verò iis rebus parcendum non est, quibus non statim sed postea demum sis vsurus, si præsens opem exposcat necessitas. Sarciri enim tempore damnum istud poterit, at benignitatis occasionem neglexisse ingens jactura est.

Quod autem attinet ad eam pecuniam quæ in aliorum vsus cedere debet, dico esse illam omnem quæ nostris vsibus superest, cuius non Domini & possessores, vt sic dicam, nec tanquam depositi alieni custodes, sed œconomi ac dispensatores esse debemus, exercendæ liberalitatis occasionibus intenti. Quæ cùm sint innumeræ ac multiplices, in tanta præsertim liberalium virorum annonæ caritate, auarorum autem & luxu perditorum vberrimo prouentu: difficile est, imò ferè impossibile, liberalem hominem, & in jugi beneficentia versantem ditescere. Vnde fit, vt fortunam homines cæcitatis arguant, quod viris optimis præteritis, pessimis quibusq; diuitias donet: quod tamen non fortunæ nescio cuius cæcitate, sed tum virorum bonorum voluntate ac certo animi consilio, qui virtutis officiis multo magis quàm vilibus nummis delectantur: tum improborum cupiditate & auaritiâ euenit. Quod si fieri posset, vt vir beneficus Cræso aut M. Crasso ditior euaderet, id propitio numini imputandum esset. Vtinam illi qui omnium maximè liberales sunt, omnium etiam sint ditissimi, & qui ditissimi sunt, liberalissimi. Inprimis autem cauendum nobis est, cùm pecuniam quâ ipsi non indigemus exercendæ

libera-

liberalitatis cauſâ colligimus ac ſeruamus, ne vana quædam virtutis ſpecies nobis illudat, & ſub liberalitatis prætextu velificemus auaritiæ. Facilè enim euenit, vt ſuppetente in aliorum vſus pecuniâ, vel eâ noſipſos egere, nobis perſuadeamus, vel tanquam nondum maturis exercendæ liberalitatis viribus, benefaciendi ſtudium differamus, vel occaſiones expectemus commodiores, vel deniq; alia aliqua ratione creſcentis pecuniæ amor in viſcera ac medullas noſtras veneni inſtar molliter ſeſe inſinuet. Namque

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Quocirca animus maximè obfirmandus eſt aduerſus pecuniæ amorem, & eius loco ſummum benefaciendi deſiderium & ardens inſerenda cupiditas. Aliis benefacere hoc lucrum honeſtiſſimum, has diuitias opesq; pulcherrimas putet. Quemadmodum enim ſedulus agricola decurrentis aquæ riuulum nactus, aggeres illi continuò obiicit, vt aqua ſine vllo vſu & emolumento præterfluens, reſtagnet, & vel piſces alat ac contineat, vel molarum rotas aggere deſiliens impellat, vel hortos & prata irriget, cui poſtmodum ſuos reddit curſus, vt ad alios quoq; eadem vtilitas ac emolumentum perueniat: ſic liberalis riuum aliquem proſperæ & aurum ſibi voluentis fortunæ nactus, aggeres illi, vt ſic dicam, modicos parſimoniâ ponit, vt in ſuos domeſticos vſus veluti reſtagnet, quos poſtmodum liberalitate laxat & ad aliorum vtilitates ac commoda fortunæ ſuæ riuum pleniſſimis ripis tranſmittit: non aggeres aggeribus accumulat, vt immenſæ opulentiæ ſtagnum efficiat, & cunctas ſi poſſet omnium opes ſolus abſorbeat.

Reliquum eſt vt de diſtribuenda pecunia agamus, qua in re præcipuum liberalitatis munus conſiſtit. In dando ergo modum & mediocritatem tenere debet liberalis: mediocritas autem iſta ex circumſtantiarum recta obſeruatione pendet: quales ſunt vt ſciat cuius gratiâ, cui, quid, quantum, quomodo,

quando dandum ac largiendum sit. Itaq; liberalis non gloriolam aliquam & laudem nec lucellum beneficiis captabit. Talia enim beneficia hamata sunt & paruâ jacturâ magnam mercedem quærunt. Sola honestate ducitur liberalis, virtutis conscientiâ contentus: aut si præmium ac laudem expectat, non expectat ab homine sed à DEO. Secundum est, vt sciat cui dandum sit: qua in parte tria potissimum sunt spectanda: indigentia, mores, coniunctio. Ad indigentiam maximè dirigendus est oculus. Indigemus autem rebus vel necessariis vel commodis: qui rebus necessariis egent, primò omnium subleuandi sunt. Non enim imitatur liberalis auaros, lucri cupidine cæcos, aut prodigos, peruerso rem æstimantes judicio, qui in ditissimos quosq; plurima dona congerunt. Hanc præposteram liberalitatem perstringit ipse Seruator, cùm jubet vt pauperes & egeni, diuitum loco conuiuijs adhibeantur. Tum enim maximè beneficus animus elucet, cùm in homines tenues & inopes beneficia conferuntur. Æquius autem est & justius illos juuare qui magis merentur, quàm qui minus; si cæterarum rerum par sit ratio. Nam si minus dignus necessariis rebus destituatur, alter verò qui dignior est tantùm commodis; illi potius succurrendum est, si nequeas vtrique. Coniunctionis autem multi sunt modi: nam aliis naturâ coniungimur, aliis voluntate, aliis & natura & voluntate. Naturâ coniungimur patriæ, parentibus, liberis, cognatis, imò omnibus hominibus. Voluntate coniungimur iis omnibus, cum quibus communia habemus sacra & religionem, eosdem mores, eadem studia, idem munus & officium, eandem domum, vrbem, ciuitatem ac Rempublicam. Naturâ pariter & voluntate coniungimur vxori, affinibus. Quantò igitur arctius cum aliquo connectimur, tantò promptius illi succurrere debemus. Liberalitatis tamen laus decusq; in beneficentia erga eos consistit quibus non tàm turpe est & ignominiosum non benefecisse, quam benefecisse pulchrum & laudabile.

Quid

Quid quantumuè dandum sit, hoc partim ex indigentia & meritis, partim ex facultatum nostrarum mensura & modo, partim deniq; ex eo quid quisq; sine nobis consequi queat vel nequeat, æstimandum est. Id igitur dandum est quo quisq; indiget maximè: tantum autem dandum est quantum & res postulat, & facultates nostræ ferunt, non plus, non minus. Nam qui plus dat, liberalitatis suæ neruos incidit, & dat operam ne diu liberalis esse possit: in suos est etiam iniurius, quibus id adimit quod eis naturæ lege debetur. Creditores quoq; suos, si quos habet, hac ratione defraudat: quod ab hominis liberalis moribus alienissimum est, qui de suo non de alieno largitur, quiq; vel penitus ab alieno ære abhorret, vel creditoribus suis accuratè satisfacit. Qui verò minus dat, quàm & possit & res postulet, parcus ac tenax est, & ad auaritiam gradum fecit. Illi deniq; plus est dandum qui sine nobis consequi potest minus. Vltimo loco aliquid de dandi modo dicendum est. Atq; id primò notandum est, vt animo prompto ac hilari benefaciamus. Multi enim sunt quibus tam suaue est pecuniam elargiri quàm in neruum rapi. Quisquis inuito ac reluctante animo largiris in auaritiæ versaris insidiis. Dabis igitur etiam non rogatus, si de indigentia constet, quam sagaci benignitate veluti odorari debemus. Qui tormentum rogandi remittit, multiplicat munus suum: nec vlla res carius constat quàm quæ precibus emitur. Rogantis autem & æqua petentis præces abrumpe, vt illum graui pudoris onere soluas, quasi pudor non fuerit petere id quod facili negotio exoratum est. Quicquid autem promittis, cito præsta, tantum enim demis beneficio gratiæ quantum addis moræ. Satius est spem præcidi, quàm trahi, & semel cadere, quàm semper pendere. Animi verò sincerum in dando affectum exporrecta frons exprimat, lingua beneficium eleuet: absit tamen omnis ambitio; multi enim dum beneficia sua nimium deprimunt, eo ipso extollunt. Memoria quoq;

eorum, qui benefaciunt fluxa ſit & labilis, eorum autem quibus benefit fidelis & pertinax. Clàm potius dandum eſt quam palam: quod etiam monet Seruator, cùm ſiniſtram noſtram manum neſcire vult id quod facit dextra. Imitandus eſt ille de quo Plutarchus alicubi, qui cùm ad viſitandum amicum pauperem & ægrotum veniſſet, ratus, eum, id quod res erat, non ſolum cum morbo ſed etiam cum egeſtate conflictari, onuſtam argento crumenam ſecum attulit, quam ſecretò, veluti malè cubantis ſtratum correcturus, puluino ſuppoſuit. Pudorem enim non expreſsiſſe beneficio magnum & memorabile munus eſt. Solent autem magis ad liberalitatem animo propendere illi, quibus à parentibus res relictâ fuit, quam qui proprio labore & induſtria opes quæſiuerunt: cùm tamen contrà fieri deberet. Nam qui paupertatem aliquando ſenſit, nouit quàm durum ſit paupertatis onus, ac proinde expertæ calamitatis veluti ſtimulis ad inopes ſubleuandos excitari deberet.

Cùm igitur liberalis ſit is, qui rectum modum ac rationem qualem hactenus explicuimus, in quærenda, retinenda, elargiendaq́, pecunia ſeruat; relinquitur vt illi laborent vitio, qui circa hæc nullo recto ordine ac modo verſantur. Cum autem omnis virtus in medio ſita ſit, medio autem duo extrema opponantur, duo etiam vitia liberalitati aduerſari neceſſe eſt, quorum vnum medium ſuperat, alterum infra medium ſubſiſtit.

Eſt (ſiquidem) *modus in rebus, ſunt certi deniq́ fines*
Quos vltra citraq́ nequit conſiſtere rectum.

In danda pecunia, qua in re liberalitatis præcipuæ cernuntur partes, qui medium modumq; ſuperat, prodigus eſt, qui infra eum ſubſiſtit auarus. In accipienda verò & retinenda pecunia contrario modo ſeſe res habet, qui enim hac in parte medium ſupergreditur, auarus eſt; qui verò defectu laborat, prodigus. Prodigum tamen potius quàm auarum in eo quod nimium eſt

peccare

peccare dicimus, quòd in dando, quâ in re præcipuas liberalitatis partes esse diximus modum superet, limitesq; transiliat: præsertim quòd etiam prodigi in accipienda pecunia nimij esse sæpe soleant, interdum quoq; in retinenda: adeò vt hæc duo vitia, tam diuersa, tam dissidentia, monstrosâ quadam ratione in quibusdam confusa videamus, & profusio quidem acuat auaritiam, auaritia alat profusionem. Itaq; cum vterq; & auarus & prodigus in accipienda quærendaq; pecunia modum superare possint, aliquando etiam in retinenda concurrant; indoles & ingenium auari erit pecuniam non solum vltra modum quærere, sed etiam vltra modum retinere, ac proinde cùm dandum est officio deesse solere. Sunt tamen auari veluti gradibus quibusdam inter se distincti. Nam alii quidem ardentissima quadam nec vnquam explenda siti diuitias quærunt; iis similes qui serpentum ictibus quos dipsadas vocant, saucii, adeò siti æstuant, in imis medullis ardente veneno, vt ne epotis quidem fluminibus ardentes veneni flammas restinguere queant: quin ipsis istis serpentibus simillimi quos Lucanus describens.

In mediis (inquit) *sitientes dipsades vndis.* Lucan.

Nam & isti cùm opibus vndiq; circumfluant, semper sibi pauperes & egeni videntur. Istorum libidinem nullæ opes, nullæ facultates explere possunt: tantus est cupiditatis hiatus, tanta rabidi ventris ingluuies. Quibus meritò illud obijci potest

——— dic quid referat intra
Naturæ fines viuenti, iugera centum an Horat.
Mille aret? At suaue est ex magno tollere aceruo:
Dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquas
Cur tua plus cumeris laudes granaria nostris?
Millia frumenti tua triuerit area centum
Non tuus hoc capiet venter plus quàm meus ——

In formicis longè plus prudentiæ hac in parte est quam in istis hominibus à quibus laborem & industriam inertes; parsimo-

niam dissoluti & futuri improuidi; quietem ac otium & quæsitis opibus frui, auari discere deberent.

Paruula nam exemplo est magni formica laboris
Ore trahit quodcunq; potest, atq; addit aceruo
Ho- *Quem struit haud ignara ac non incauta futuri.*
rat. *Quæ, simul inuersum contristat aquarius annum*
Non vsquam prorepit, & illis utitur ante
Quæsitis, patiens: cùm te neq; feruidus æstus
Dimoueat lucro, neq; hyems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi dum ne sit te ditior alter.

Quocirca optimo jure Flaccus homines istos ad Medicos relegat:

Si tibi (inquit) *nulla sitim finiret copia lymphæ,*
Narrares medicis: quòd quanto plura parasti
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?

Horum insaniam Poetæ Danaidum illa fabula notant, quas ad hauriendam siculis pertusis aquam Inferorum iudex perpetuâ seruitute damnauit. Huius gregis auari solent aliena vi & fraude cùm possunt rapere, & sæpe ad inhonestos ac turpes quæstus sese abijcere, Eorum autem qui fraude & dolo circumueniunt alios, non postremi sunt fœneratores, qui de rebus creditis vsuram cum damno & detrimento extorquent. Horum pecunia quam mutuò dant, veneno videtur illita, quæ non vitam, sed perniciem alteri afferat

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Alii autem sunt qui non quidem immensas diuitias sine fine congerunt, nec cupiditatis isto ardore æstuant; in retinenda tamen pecunia & premenda nimii sunt, nempe dum id quo ipsi non indigent, aliis cùm opus est subleuandis non impendunt, sed recondunt. Priores illos, quia in auaritiæ certamine palmam cæteris præripiunt, auaros simpliciter nominamus: hos verò tenaces, restrictos, parcos, nomine magis proprio designare solemus.

ſolemus. Vtriq; iſtorum duplicis rurſus ſunt generis. Nam vel in alios tantum, vel in ſeipſos etiam immites ſunt & iniurij. Illi ſunt, qui modo poſsint, nihil ſibi quod ad vitæ ſuauitatem & commoditatem pertinet, deeſſe patiuntur & victu & cultu corporis non indecori ac ſordidi. Qui homines non prorſus ſunt inſanabiles: ex ſui enim amore, faciliùs alios amare diſcere poſſunt. At verò qui ſeipſos omni odio proſequuntur, qui ſe fame macerant, & ſemeſi panis mucida fruſtra latranti ingerunt ſtomacho vappamq; & acetum bibunt, ac omni corporis voluptate abſtinent, ne vel obulus decedat cenſui; quibus tandem machinis ad beneficentiam ac liberalitatem adducentur? quibus anticyris ipſorum inſania curabitur?

—— *Auidienus*
Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret
Quinquennes oleas eſt, & ſylueſtria corna Horat.
Ac niſi mutatum parcit diffundere vinum &
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, natales, alioſvé dierum
Feſtos albatus celebret, cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat veteris non parcus aceti.

Iſtis hominibus nemo quidquam peius imprecari poteſt, quàm vitam longam: atq; hi ſunt quos Tantali ridet fabula:

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina. quid rides? mutato nomine de te Horat.
Fabula narratur --- --- ---
Vuidius quidam non longa eſt fabula diues
Vt metiretur nummos: ita ſordidus vt ſe
Non vnquam ſeruo melius veſtiret, adusq;
Supremum tempus ne ſe penuria victus
Opprimeret metuebat, at hunc liberta ſecuri
Diuiſit medium --- --- ---

Qui homines cùm ſeipſos tantoperè non amant, quid mirum eſt quòd omnium odiis laborent, & eorum maximè quibus eſſe debebant chariſsimi.

 Non

Non vxor saluum te vult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti pueri atq; puellæ.

Vt non mirum sit sordidum istum Vuidium à liberta securi fuisse mactatum. In istos maximè quadrat nobile illud dicterium: *Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.* Eo autem quod possides egere, monstrosæ cuiusdam egestatis est. Suas enim opes tanquam alienas possidet, & sartas tectas prius quam de vsu earum vnquam cogitasset, ad successorem, calcem extendens, transmittit,

--- --- --- credidit ingens
Horat. *Pauperiem vitium, & cauit nil acrius, vt si*
Forte minus locuples vno quadrante periret
Ipse videretur sibi nequior --- ---

Vixit ergo semper pauperrimus, vt moreretur ditissimus. Iuuat hic Opimii illius in magnis diuitiis pauperrimi meminisse, qui vitam suam (& sanè meritò) non tanti fecit, vt eam octo assibus redemptam vellet, in quem festiuo poëmate Flaccus vt solet, lusit:

Horat. *Pauper* (inquit) *Opimius argenti positi intus & auri*
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamq; profestis:
Quondam lethargo grandi est oppressus, vt hæres
Iam circum loculos & claues, lætus ouansq;
Curreret. Hunc medicus multum celer atq; fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet, atq;
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit, addit & illud,
Ni tua custodis, auidus iam hoc auferet hæres.
Men' viuo? vt viuas igitur vigila, hoc age. quid vis?
Deficient inopem venæ te nicibus atq;
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.
Tu cessas, agedum, sume hoc ptisanarium oryzæ.
Quanti emptæ? paruo. quanti ergo? octo assibus. Eheu
Quid refert morbo an furtis pereamnè rapinis?

Auari-

Auaritia autem senum plerumq; morbus est, qui infirmitatis suæ conscii, & incertá casuum pertimescentes, præsidium collocant in pecunia, quantoq́; minus viæ restat, tantó plus viatici quærunt. Concludamus igitur, auarum esse, quicunq; in quærenda & retinenda pecunia conuenientem modum transgreditur. Transgreditur autem is, qui vltra suos suorumq́; vsus quibus vita liberalis & honesta continetur, id sibi seruat ac retinet quod aliorum hominum vsus efflagitant. Quem enim in finem superfluæ accumulantur & asseruantur opes? Ipse non vteris, imò nec abuteris, neq; tamen in opem & indigum cúm opus est subleuas. Morbo igitur animi laboras & stulto pecuniæ amore captus es.

Si quis emat cytharas, emptas comportet in vnum
Nec studio cytharæ, nec Musæ deditus vlli: Horat.
Si scalpra & formas non sutor: nautica vela
Auersus mercaturis; delirus & amens
Vndiq; dicatur meritò: quid discrepat istis
Qui nummos aurumq́; recondit, nescius vti
Compositis, metuensq́; velut contingere sacrum?

Quid enim in pecunia ac opibus præter vsum laudabile? Vtere igitur, aut si non indiges; vtantur tua benignitate alij.

Si quis ad ingentem frumenti semper aceruum Horat.
Porrectus vigilet cum longo fuste: neq; illinc
Audeat Dominus esuriens contingere granum;
Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
Si positis intus Chii veterisq́; Falerni
Mille cadis, (nihil est tercentum millibus) acre
Potet acetum: age si & stramentis incubet vnde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eò quòd
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.

Nempe sunt auari canibus in fœno aut stramine cubantibus non

absimiles, qui cùm ipsi istis non vescantur pecudes ijs vesci volentes latratibus arcent, & morsibus impetunt. Multi sunt qui liberorum amorem obtendunt, quibus amplum patrimonium & latifundia relinquere curant. At ingens est & opima hæreditas, animus virtutibus diues. Quid huic deerit, qui tantas opes possidet? Has tu non liberis sed in liberis relinque. Quas si sufficere non putas, licebit illis modicas relinquere facultates, quibus rectè educatus animus contentus est. An tu liberorum tuorum villicum ages, imò mancipium, imò jumentum quod in Domini vsus comparatur pecuniâ? Quàm multi sunt parentes qui vt liberos in re lauta relinquant, non tantùm vitam hanc omnemq; vitæ tranquillitatem & suauitatem, sed etiam sempiternam ei rei salutem impendunt? Et tamen quis fructus in liberis istarum opum, tot curis, tot laboribus, & irrequieta sollicitudine comparatarum? Pater fame, siti, squallore, volens periit, at hæredis quæ facta? quis animus?

Horat.

Effundit hæres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus & mero
Tingit pauimenta superbus
Pontificum potiore cœnis.

O ingentem parentum stultitiam! non quàm bonos relinquant liberos curant, sed quàm diuites; neq; vident cùm liberis nullâ virtutum culturâ subactis opes relinquunt, instrumenta nequitiæ se illis tradere: Vnde fit vt tot annorum parsimoniam vnus dies, vnum conuiuium, vna meretrix sæpe absumat, & *tandem desit egenti, æs laquei pretium.* Hoccine erat cur pater tot annos esuriret? Quam insaniam Satyrico sale & aceto defricuerunt complures:

Horat.

Filius aut etiam libertus, vt ebibat hæres
Dijs inimice senex custodis? --- ---

Perse.

Vt tuus iste nepos olim satur anseris extis
Patriciæ &c. &c. --- ---
--- --- --- mihi trama figuræ

Sit

Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter.

Quantò rectiùs ille qui dicit:

Vtar, & ex modico quantum res poscet, aceruo
Tollam, nec metuam quid de me iudicet hæres Horat.
Quòd non plura datis inuenerit: & tamen idem
Scire volam quantum simplex hilarisq; nepoti
Discrepet, & quantum discordet parcus auaro.
Distat enim spargas tua prodigus, an neq; sumptum
Inuitus facias, neq; plura parare labores.

Sunt alii qui sordes suas virtutem ac parsimoniam vocant, & dum pecuniæ magis quàm sibi parcunt, paruo se contentos viuere dicunt.

--- --- --- Ne tibi desit?
Quantulum enim summæ curtabit quisq; dierum Horat.
Vngere si caules oleo meliore, caputq;
Cœperis impexâ fœdum porrigine? -- -- At, quare
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Vndiq;?
Cur eget indignus quisquam te diuite?

Frustra igitur vitio nomen virtutis obtendis, & sordes pro parsimonia venditas. Detrahunt tibi laruam facta tua, & auaritiam tuam redarguunt. Plurimi etiam ideò diuitias opesq; sine fine quærunt, quòd iis omnia consequi se posse putent.

Bona pars hominum decepta cupidine falso
Nil satis est, inquit, quia tanti quantum habeas sis. Horat.
— — — — Omnis enim res
Virtus, fama, decus, diuina humanaq; pulchris
Diuitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus: sapiensne? etiam, & rex
Et quicquid volet.

Errant qui sic sentiunt: non enim ipsis diuitiis, sed earum recto vsu, homines landem atq; decus consequuntur: Qui verò diuitiis vel abutuntur vel non vtuntur, quid aliud sunt, quàm pu-

blicum opprobrium & vulgi fabula? Illud adhuc addere lubet, adeò rarum esse diuitem, qui auarus non sit, vt coruo rarior albo dici mereatur: Quotusquisq; enim diuitum est, qui diuitias suas non amet, non sollicitè custodiat, non assiduè accumulet, qui omne id quod sibi superest publici juris esse censeat, & cui non meritò occini queat

Horat. *—— —— congestis vndiq; saccis*
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis,
Nescis quò valeat nummus, quem præbeat vsum?

Ditescere certè, sine auaritia vix cuiquam licet, cùm nunquam benefaciendi, & illud quo ipsi non indigemus in aliorum vsus erogandi occasiones ac justæ causæ desint. Et qui ditescit, plerumq; etiam id agit vt ditescat, hoc est ditescere omninò vult, diuitiasq; animo & consilio intendit: at vero ditescere velle, id cupere, id spectare vt opibus affluas, Scripturâ teste auaritia est, nec scriptura tantùm, sed etiam ratione. Nam qui id spectant, diuitias quàm rectum diuitiarum vsum, qui in beneficentia positus est, malunt. Hinc scriptura diuitem cum nominat, auarum intelligit. Hinc Seruator ipse adeò arduum esse pronunciat diuitem in regnum cœlorum ingredi, vt facilius sit camelum per foramen acus transire. Nempe quia diuitiis juncta solet esse auaritia, & nescio quomodo diuitiæ, amorem sui animis eorum qui eas possident instillent, qui eos quotiescunq; imperauerit Christus ab iis diuelli non sinit. Diuus etiam Jacobus diuitibus imminentes denunciat clades, quarum horrore eiulare eos iubet. Istud autem propter auaritiam fieri, cùm res ipsa tum sequens oratio, quâ summa eorum in congerendis & premendis opibus iniustitia, tenacitasq; coarguitur, demonstrat. Et tamen diuitias omnibus votis appetimus, omni studio quærimus, recondimus, cumulamus; quas qui cupiunt, nedum qui quærunt, auaritiæ damnantur, ac proinde regno cœlorum excluduntur: qui verò habent, quominus in regnum cœlorum ingredi possint, mirificè im-

cè impediuntur: quas Seruator in pauperum vsus profundere iussit eum quem, olim ad perfectionem vocauit. Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus, cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se simul posse & virtutes & diuitias possidere: Et Græcus olim Aristippus

———— seruos proiicere aurum Horat.
In media iussit Lybia, quia tardius irent
Propter onus segnes.

Nos suffarcinati auro, Christum pauperem & expeditum sequi volumus, nec vocem eius audimus, quâ pauperes quidem beatos, diuites autem miseros pronunciat, & illis quidem regnum cœlorum destinat, hos verò iam abstulisse suum solatium testatur: Vt non immeritò, Diuus Iacobus dixerit, DEVM elegisse huius mundi pauperes, fide diuites, hæredesq; regni, quod suis promisit amatoribus. In huius tam beati ac felicis regni societatem, si cum pauperibus venire volunt aliquando diuites, admittant nunc vicissim & ipsi in suarum diuitiarum consortionem pauperes. Neq; enim hæc quæ de diuitibus diximus, eo spectant, vt ipsas diuitias damnemus, quæ bonæ sunt, si bonis viris contingant, malæ si malis; sed vt diuites commonefaciamus. Desinant opes suas amare, quærere, premere, cumulare. Vbi enim sunt opes, illic & animum esse necesse est; & qui opibus seruit, DEO seruire nequit. Vnde factum est, vt ipse Seruator clarissima voce edixerit, ne congeramus in terris opes, vbi & tinea æruigoq; corrumpit, & fures perfodiunt, ac furantur. Desinant abuti suis diuitiis ad voluptates immoderatas, ad inanem vitæ splendorem, ad fastum & superbiam, ad aliorum contumeliam & contemptum: sed potiùs, vt cum Diuo Iacobo loquamur, in humilitate sua glorientur: alioquin herbarum in morem perituri. Vt enim (inquit idem Iacobus) exortus cum ardore sol, herbam arefacit, eiusq; & flos decidit & decora facies interit: Sic diues in viis suis (hoc est moribus) marcescet.

Sic diuitias suas possideant, iisq; fruantur, vt paupertatem non inuiti ferre possint:

Vni nimirum tibi rectæ semper erunt res?
Horat. *O magnus posthac inimicis risus. Vternam*
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
Pluribus assuêrit mentem corpusq; superbum?
An, qui contentus paruo, metuensq; futuri,
In pace, vt sapiens, aptârit idonea bello?

Atq; vt sciant diuites quales esse debeant, quid vitare quidué sequi, si regnum cœlorum adipisci velint, audiant quid eos Gentium Magister monitos velit: *Iis*, inquit, *qui in hoc seculo diuites sunt, denuncia, ne superbiant, néue spem habeant in incertis diuitiis, sed in viuente Deo, qui nobis omnia largè suppeditat ad fruitionem, vt benefaciant, vt rectè factis diuites sint, vt liberales sint, atq; largi, præclarum sibi fundamentum in futurum congerentes, vt vitam assequantur sempiternam.* En diuitem verè Christianum, & diuitiis dignissimum. Ad hanc normam & regulam sese componant, suaq; facta exigant, quicunq; diuitiis suis ac opibus non in barathrum æterni interitus tanquam pondere quodam deprimi & præcipites agi volunt, sed iis veluti alis quibusdam in sublime rapi, & in cœlum ad sempiternas voluptates & gaudia euehi cupiunt ac desiderant.